

Aristoteles ducentis annis viuere constanter affirmat, alius dixit esse trecentis. Vt constet iam in natura animalium & in genere caloris habentis magnum motum, & substantiam tenuem hoc inueniri posse, vt excludamus plantas de quarum vita longissimas satis constar, sed quia caret motu euidenti calor in illis, & substantia est crassa animalium comparatione non laboro. At de elephanto omnes confitentur quoddam sit omnium ingeniosissimum, adeo vt multi homines illos industria & cognitione inferiores esse videantur. Neque etiam verisimile est quod natura hominem fecerit hac in parte illo inferiorem, praesertim cum de nullo alio animali apud Aristotelem dubium sit, & vbi modo aliquod dubium esset propter querelam Theophrasti, & illud quod solet praedicari de ceruis, tanto magis verisimile est inidignum fuisse hominem concedere tot animalibus in diuturnitate vitae. Quam obrem cum hae tractatio ad libros de tuenda Sanitate spectaret, homines ad eos relego, nam ob id illos conscripsi quoddam viderem Galenum nec hoc vidisse nec multa alia, sed eorum loco longas & inutiles disputationes inseruisse. Verum etiam, quoniam eam tractationem diuulsi, vt alia cogamus quaerere in libris de Alimentis, alia, de cibus boni & mali succitum verò & tractatio ipsa eduliorum est imperfecta, & multa etiam deficiunt circa genera: in quo est excusandus ob varietatem regionis & aetatis. Deest praeterea maxima pars, quae nec ibi nec alibi habetur, scilicet, de ciborum praeparatione. Quod etiam hae latuerint tot praecclaros viros, quid mirum? cum Hippocrates vixerit seculo illo agresti, in quod non est mirandum, quod aliquid, pauca quaedam & abstrusa omiserit, sed quod tam multa tam bene inuenerit, vt fuerit, sicut de Pindaro dicitur, imò longè verius quam de Pindaro inimitabilis. De Galeno quid mirum, qui non nisi veterum scripta collegit, atque vtinam saltem bene. De Aristotele is multa inuenit suo Marte, & Theophrastus longè plura. De aliis, dico tam medicis quam philosophis, hoc est, quod queror, quod in spatio pene duorum millium annorum, non hoc quod valde reconditum erat, sed nec leue vllum experimentum, vel naturae arcanum, vel vitae salutare auxilium inuenerit. Sed litigant de nugis & rebus inutilibus, & etiam quae sciri non possunt, ad plerumque non sine magna impietate. Quod verò necesse sit amittere voluptatem, & negotia praetermittere volenti hanc vitam longam adipisci, quae postmodum etiam valde incerta est: dico quod quantum ad voluptates & negotia, non esse necesse, sed solum superfluas res, & damnosas & irritas, quas etiam philosophi & ciuitatum institutores, & morum censors docent debere vitari, etiam nullo proposito emolumento, at reliqua consuetudo efficit non solum grata & tolerabilia, sed etiam iucunda. De incerto fine, quid est certum

Tom. IV.

apud homines, nisi hoc nihil certum esse? Verum tamen si quis respiciat ad praemium tam singulare est, & nobile atque vtile, vt non lulerit operam immerito, quicumque cum spe tam illustris commodi, & tam exigua iactura rerum, ac minore periculo se huic aetate experiundae committerit. Cum, si quis hoc ipsum adipiscatur, verè dici possit summum bonum adeptum esse: Non solum compos factus diuturnitatis vitae, sed cum illa tot voluptatum, quae in longo tempore percipiuntur scientiae tot rerum, quas non nisi temporis longitudo ostendere potest, tot denique casus videre tum opum incrementum, quod quasi certissimum est in longa aetate & vsu sapienti & autoritate plena, adeo vt fermè necesse sit ad principatus speciem deuenire qui tamdiu vixerit, tum gloria ipsa incomparabili. Haec autem maxime accidere necesse est, quod vt visum est, quanto longior fuerit aetas eo firmiores etiam sunt illius partes quae ad mortis tempus appropinquant pari ratione, vt ex tabella prima deprehendere licet, quod si cum hoc sobolis felicitas accedat, non obscurum est huiusmodi posse dici vltimam hominis felicitatem apud eos, qui humanas res aliquid esse putant. Accidunt autem hae sponte in saeculorum renouationibus, cum humanum genus consumitur, seu qui supersunt ob robur, seu ex terra geniti, vt dubitat Aristoteles, Hasen credit, tum ob aëris puritatem, & maximè quod alterutro modo ex calidis regionibus & sublimibus locis homines reparari necesse sit, tamen etiam ob victus simplicitatem, cum in altera supersint soli pisces in altera ne hi quidem, vt in Arcanis demonstratum est. Atque etiam ob curarum absentiam: siquidem homine illi gaudent, reges ex agricolis haud dubiè terrarum facti, ac quasi securi molestiarum ad hanc aetatem perueniant longa spatia temporis, & propagandae sobolis habentes, vt felicissimè viuant, restituti ex optimis quibuscunque aureae illi aetati, non solum ob vitae sinceritatem atque splendorem, sed etiam longitudinem sic appellatae. Quae finem habuit dum satis (vti coeperunt) è Saturno in vltimum traditis: vnde etiam falcis insigne accepit. Eadem tamen aetate paucissimi ex infinitis diutius quam nostra viuere coeperunt, ceteri omnes minus quam nunc, quod neque vestitus corporum ab inundatione parta, neque aëris puritas à squaloribus maneret, & edulia multo pauciora essent hominibus & incondita.

*Propositio centesima octuagesima
quarta.*

Quaecunque graua in vorticibus aquarum merguntur, in medio vorticis primum versa mergantur.

Hanc proponit Aristoteles, sed non quantum necessarium est explicauit, vnus enim quæ-